



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xxxiiii. De voto & voti redemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

stianū interfecisse notatus erit, & ad fidem conuorsus vxorem interempti sibi matrimonialiter copulasset, christianive de Sarracenis mulieribus ad fidem conuorsis id faxint: matrimonium licitè contractum esto. Mulieribus etiam priorum maritorum morte comperta diuortium postulare ne liceto.

2. Ex lite ris. Si qui patres de Iudaicæ cæcitate errore ad christum verum lumen adducti erunt vxoribus in Iudaismo relictis: maiores triennio filii apud eos, si non suspecti erunt, aluntor, morantor. In ea ætate apud eas personas, de quibus suspicio esse possiet quod saluti vite eorum insidientur, ne remanento.

De voto & voti redemptione.
Tit. 34.

6. Licet. Vniuersis in vouendo liberum arbitrium esto. post votum necessaria solutio esto. Immo filius, si quod votum pater vouerit, eo fidei ipsius id committente implere promiserit, eius debitū exsoluito, cæteris sollicitudinibus postpositis id reapse adgreditor, prosequitor. Si detrectabit: paterna successione indignus eius emolumento priuator. anathematis vinculo subponitor. Iure quouis alio ex ordine genituræ sibi competente priuator. si plureis fratres erunt: id ad alios deuoluitor.

10. Per 11615. Sed & qui in aliqua ecclesia regularem habitū suscipiundi votū solēniter emisit, idq; implere in ipsius ecclesiæ prælati manibus intra certū

tempus promiserit, nec faxit, voti transgressor ad alterius ecclesiæ regimen vocatus si erit, regimen eius resignato. altissimo vota sua reddito. post si canonicè ad eandem electus erit: si volet eam recipito.

Qui tamen mortis terrore perterritus vitæ ^{3. Literaturam.} mutandæ obscura verba protulerit, quamvis religionis habitum aliquando suscipere in animo proposuerit, nisi quid plùs in voto processum erit, tametsi quod dixerit non implebit, transgressor ne iudicator.

Sed & qui quod vouerit auctoritate apostolica distulerit, voti transgressor ne habetor. ^{5. Nō est.}

Item qui temporarium obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutauit, reus ^{4. Scripturæ.} voti ne existumator.

Quinetiam qui in puerili ætate constitutus ^{2. Veniens} Hierosolyma proficisci disposuerit, etsi comitatus fidem alteri duit, à voto, quod in ætate tenera facilitate potiùs, quàm ex arbitrio discretionis promiserit, R. o. pontificis auctoritate absoluitor. Idem votù eleemosynis redimito. olli, vt toto vitæ suæ tempore vni pauperum Christi, si tamen ad hoc eius facultates sufficiēt, prouideat, consultum esto.

Peregrinationis vota si eleemosynis redimi, ^{1. De peregrinationis.} in aliudve pro necessitate commutari petentur: eius qui præsidebit arbitrium esto. qualitatem personæ, & commutationis causam, an ex infirmitate, adfluentia bonorù, aliave probabili causa peregrinatio, an compensatio melior & deo magis accepta fiet, considerato. secundùm hoc

De vot. & vot. redemp.

exinde dispensato.

7. Magna Clericus autem absque episcopi sui licentia ne peregrinator. Episcopus item absque generali specialive sedis apostolicę licentia, cui adstrictus est, diurnę peregrinationis votum ne emitto, Si faxit, & ex causa vltimarinas partes adire disposuerit, eaque cessabit: voti commutationem a Ro. pontifice impetrandi potestatem habeto, hæc commutatio esto. Quas expensas eundo, morando, reuertendo facturum erat, alicui religioso in necessarios eius terrę vsus sine deminutione transferendas committito. laborem laboribus compensato. vigiliis sollicitius instato. orationibus deuotius vacato. in ieiuniis se fortius exerceto. Sic votum in aliud pietatis opus commutare liceto.

11. Postulatis.

Ecclesiarum tamen præpositi etiam regulare vitam professi postquam se cruce signafint, nisi ecclesię eorum per ipsorum absentiam enormiter lædentur, si verbo pariter & exemplo vtilis terrę sanctę esse sibi conscius erunt, votum peregrinationis implere coguntur. Procuratores idoneos in ecclesiis suis dimittunt. vigesimam redditus ecclesiarum suarum terrę sanctę subsidio deputatam in vsus suos habento.

*8. Quod super his.
9. Ex multa.*

Si qui autem pro succursu terrę sanctę signo crucis adsumpto propter infirmitatem, paupertatem, aliãve iustam causam votum vtiliter implere nequibunt: si temporariam impedimenti causam habere credetur, a religioso viro, cui eius rei cura a sede apo. commissa fiet, dilationem accipiunt. Illis solummodo qui super hoc sedis

apo. mandatum speciale receperint incumbito. religiosi itaque non qui religionis habitum suscepserint, sed queis apostolica sedes specialiter delegasset accipiuntur. Ad hos tantum executio pertinet. Sin perpetua impedimenti causa erit: ipsis redemptio indicitur. Rerum facultate premissa, quas facere poterint, facturive fuerint personarum expensas, compensato preterea labore, in subsidium terrae sanctae transmittuntur. Sic quod per se nequeunt per alios exequuntur. Si qui porro pro defensione terrae sanctae peregrinationis votum emiserint: in his plus terrae sanctae succursus attenditur. Si tales ad pugnandum inutiles erunt: quamvis ad eundem habiles fuerint, potius votum redimunt. Siue tamen per se pugnare scient, sine maturitate consilii pugnantibus adesse, & personae defectum per alios relevare poterint, votum ne redimunt. Quibus autem pro satisfactione suorum criminum peregrinationis iter iniunctum erit, si propter debilitatem id implere nequeunt, non etiam si ad bellandum tantum impotentes, ad eundem tamen potentes fuerint, votum redimere concessum est. Mulieres, si quae remanere noluerint, viros suos sequuntur. hoc de his mulieribus quae se ad peregrinationis propositum nullius voti vinculo adstrinxerint intellegitur. Caeterae, nisi divites fuerint quae secum suis expensis bellatores ducere poterint, votum quod voverint redimunt. Viris praeter vxorum ad sensum peregrinationis huius propositum liberè vovere licet. quod voverint adimplent, tantum mulieres ut consen-

De stat. mona. & cano. regul.

tiant ad tentius commouentur. De clericis autem, nisi consilio strenui, officiove prædicationis instructi, aut magnatum obsequio deperati, vel usque adeo diuites & potentes erunt, ut expensis suis secum ducere valeant bellatores, nisi contra necessitas utilitasve suadebit, magis redemptio accipitor. Hæc de uouentibus dicta sunt. Ad eos, quibus peregrinationis labor in poenitentiam indictus fiet, ne trahuntur.

*De statu monachorum, & Canonico-
regularium. Tit. 35.*

2. *Monachi.*

MONACHI in monasterio precio ne recipiuntur, neque peculium habent. Singuli per villas, & oppida, seu parochiales ecclesias ne disponuntur. in maiore cōuentu cum aliquibusve fratribus manent. soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum ne expectant. Si quis exactus pro receptione sua quid dicit: ad sacros ordines ne ascendit. Si quis receperit: officii suspensione multatur. Qui peculium habesit, nisi ab abbate pro iniuncta administratione permissum fiet, ab altaris cōmunionem remouetur. Qui uero in extremis cum peculio inuentus erit, nisi dignè poenituesit, inter fratres sepulturam ne accipit, neque pro eo offertor. hoc de uniuersis religiosis præceptum est. Abbas, si non hoc diligenter cauerit, officii sui iacturam incurrit. Prioratus, obedientiæ uel (quas uocant) precii donatione nulli traduntur. alioquin dantes & accipientes ab ecclesiastico